

## LONGICORNES.

VEL

## CAPRICORNES.

479. (\*) PARANDRA *caspica* MÉNÉTRIÉS. Tab. IX. f. 9.

*Elongata, parallela, rufo-picea, nitida; capite subtiliter, vage punctulato; thorace sub-transverso, lateribus rectis, postice oblique angustatis; elytris lœvissimis, impunctatis; ano dense fulvo-piloso.*

Longit. 9 lin. Lat. 3 lin.

MÉNÉTRIÉS Cat. Raisonné, pag. 225. n. 1013.

Magnitudo et fere statura Parandræ maxillosæ Dej. thorace paullo tamen breviore elytrisque lœvioribus, non punctatis, nec non magis convexis præcipue differt.

Caput magnum, transversum, rufo-piceum, nitidum, subtiliter disperse, sed pone oculos rude et crebrius punctatum,

---

(\*) Dolendum est revera, Virum doct. Ménétriés, summa licet contentione virium adhibita in Sara insula unum tantummodo ejus speciei insectum reperisse. Ad nostram enim ætatem nullum, nisi fallor, in Europa detectum est. Cujus forma, ut ita dicam, plane tropica est vel potius exotica (omnes enim, quas novimus, species ex America prodüssse videntur) et Parandræ maxillosæ (P. glabrata Dej.) quæ in Brasilia reperitur, proxima atque simillima. Erit profecto hæc species haud parvo ornamento Faunæ rossicæ.

carinula obliqua et alte elevata ante oculos utrinque notatum, apice subito declive, ibique late et sat profunde lunatim emarginatum, in disco anteriore longitudinaliter late sed haud profunde canaliculatum. Oculi mediocres, transverse ovales, modice prominuli, convexi, nigri. Antennæ thoracis basin haud attingentes, crassiusculæ, sub-compressæ, obscure brunneæ nitidæ, extrorsum sensim attenuatæ; articulo basali maximo, valde incrassato, globoso, minutissime punctato. Thorax capite evidenter latior, quadratus, longitudine paullo latior, rufo-piceus, nitidus, basi truncatus, levissime tri-sinuatus, marginatus, angulis rectis; lateribus late reflexus, parallelus, in medio vix visibiliter sinuatus, pone medium oblique angustatus, apice truncatus, immarginatus, subtilissime fulvo-ciliatus, supra modice convexus, foveola parva, rotunda juxta basin utrinque; in disco lœvissimus, sed latera versus sub oculo acute armato vage punctulatus. Scutellum mediocre, postice rotundatum, supra planum, punctis quibusdam ad basin impressum, rufum, postice late nigro-marginatum. Elytra basi thoracis paullo latiora et eo concinne remota, elongata, parallela, lateribus late reflexa, apice obtuse rotundata, nonnihil dehiscentia, supra æqualiter modice convexa, lœvissima, non punctata, rufo-picea, nitida. Corpus subtus dilutius rufum, lœvissimum, glabrum; segmentorum lateribus obsolete foveolatis, nec non subtilissime punctulatis; segmento anali densius punctulato et dense ac breviter fulvo-piloso. Pedes breves, robusti, glabri, rufo-testacei, nitidi; femoribus compressis, in medio valde dilatatis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.

480. PRIONUS *asiaticus* MIHI. Tab. VII. f. 4.

*Niger, sub-nitidus; thorace transverso, utrinque acutissime bi-spinoso; elytris obsolete confertim rugulosis; abdomine laevissimo, polito; tarsis fuscis.*

Longit. 16 lin. Lat. 7 lin.

Priono coriario Fabr. valde affinis, sed laevior et magis niger; differt praesertim thorace utrinque bi-spinoso, nec non rugositate elytrorum alia etc.

Caput crassum, porrectum, valde inaequale, antice angustatum, undique inaequaliter vage tamen grosse punctatum, nigrum, sub-nitidum, pone oculos nonnihil constrictum ibique utrinque confertissime ruguloso-punctatum, supra ante oculos gibbum, antice late et profunde exaratum, praeterea in disco canalicula angustissima sed profunda a thorace usque ad apicem ducta instructum, intra apicem transversim profunde impressum. Antennae sub-tenues, breviter serratæ, dimidio corporis vix longiores, subtiliter vage et profunde punctatae, nigræ, apice dilutiores. Thorax transversus, longitudine duplo fere latior, apice bi-sinuatus, testaceo-ciliatus, basi in medio rotundatus, utrinque sat profunde sinuatus margine reflexus, angulis posticis oblique truncatis, lateribus dilatatus, in spinis latis duabus recurvatis, valde acutis admodum prominens, supra convexus, ubique vage sed rude subrugoso-punctatus, niger, sub-nitidus, obsolete canaliculatus, fovealata nec profunda in medio disci utrinque impressus, juxta marginem lateralem ante medium profunde excavatus, ibique crebrius rugosus. Scutellum latum, postice rotundatum, supra ad basin utrin-

que impressum, ubique obsoletius disperse punctulatum, piceo-nigrum, nitidum, basi in medio elevatum, hinc apicem versus distincte canaliculatum, apice nonnihil depresso. Elytra thorace dimidio latiora, nigro-picea, humeris valde callosis; hinc apicem versus sensim attenuata, apice singulatim rotundata, lateribus præsertim in medio valde reflexa, supra æqualiter sat convexa, crebre at obsolete rugulosa, disperse punctulata, pone scutellum utrinque bi-impressa, lineis tribus obsoletissimis in singulo notata. Corpus subtus minutissime punctulatum, nigrum, nitidum; abdomine cylindrico, læviori, et minutius punctulato; ano sat producto, rufo-marginato. Pedes elongati, validi, nigri, parce setulosi; tarsis fuscis.

481. HAMMATICHERUS *Dux mihi.* ♂ ♀ Tab. VII. f. 5. 6.

*Niger, parce griseo-pubescent; thorace utrinque dente longo, obtuso munito, crebre profundeque exarato, dorso rugulis sub-linearibus confertim in ordinem oblique alte elevatis.*

Longit. 43 — 47 lin. Lat.  $4\frac{1}{2}$  — 6 lin.

Hammatichero Heroi Fabr. proximus, sed minor, thoracis rugositate præcipue differt.

*Mas.* Caput magnum, deflexum, valde inæquale, nigrum, parce pubescens; vertice gibbo, granulis transversis dense ob-sito; in medio pone oculos foveola elongata, triangulari instructum; frons producta, disco longitudinaliter profunde exarata, utrinque alte carinata, carinulis supra impressis; intra apicem profunde impressum. Antennæ corpore multo longiores, nigræ, parce griseo-pubescentes, punctis minutis dense et ma-

gnis sub-confluentibus vage immixtis obtectæ; articulis quatuor baseos apice valde incrassatis, extrorsum valde attenuatis. Thorax cylindricus, basi apiceque dense testaceo-ciliatus, lateribus dilatatus, dente elongato, obtuso in medio munitus; angulo antico protuberante; ubique confertim rugosus, rugis omnibus alte elevatis, in medio disci sub-linearibus, interdum in ordinem oblique collocatis; niger, carinula parva modice elevata pone medium notatus, in excavationibus griseo-pubescentes. Scutellum parvum, cordiforme, pilosum, in disco longitudinaliter impressum, nigrum, opacum. Elytra basi thoracis multo latiora, apicem versus concinne attenuata, nigra, postice ferruginea, dehiscentia, apice rotundata, integra, interdum obtusissime dentata, supra fere plana, lateribus subcylindrica, ante medium valde reflexa, basi crebre et rude, apicem versus obsoletissime alutacea; humeris productis, gibbis. Corpus subtus sub-cylindricum, nigrum, nitidum, parce griseo-pubescentes, punctis minutissimis nec non majoribus immixtis obsitum. Pedes validi, elongati, densissime minute punctati, griseo-pubescentes; femoribus rugulis transversis crebre obtectis, posticis pilis rufis superne dense obsitis; tarsis subtus densissime rufo-spongiosis.

Femina: antennæ dimidiā partem corporis tantum parum superantes; thoracis rugulis discoideis magis inæqualiter dispersis; segmento anali parum producto et pilis longis sat dense obsito.

*Var. B.* magis parallelus et thoracis rugulis absque ordine confluentibus.

482. *HESPEROPHANES fasciculatus* MIHI. Tab. VIII. f. 1.

*Elongatus, fusco-piceus, villosus; antennis pedibusque ferrugineis; thorace gibbo; elytris concinne rude punctatis pilis pallidis fasciculatim dense adspersis variegatis.*

Longit.  $5\frac{1}{2}$  lin. Lat.  $1\frac{5}{4}$  lin.

Statura omnino Callidii holosericei Rossi; sed multo minor; antennis plerumque crassioribus; thorace convexiore; elytris fortius punctatis etc. bene distinctus.

Caput parvum, rotundatum, piceum, inter antennas tenuiter impressum, ubique densissime villosum. Oculi magni, valde prominuli, fusco-nigri, pone antennas profunde et late excisi. Antennæ corpore vix breviores, crassiusculæ, ferrugineæ, dense testaceo-pilosæ. Thorax latitudine evidenter brevior, basi bi-sinuatus, reflexus, lateribus dilatato-ampliatus, apice truncatus, supra æqualiter valde fornicatus seu gibbus, ubique confertissime punctatus, nec non densissime testaceo-villosus, fusco-piceus. Scutellum mediocre, postice rotundatum, disco longitudinaliter late impressum densissime testaceo-pilosum. Elytra thorace vix latiora, elongata, lateribus parallelæ, apice parum dehiscentia, singulatim acute rotundata, supra æqualiter convexa, in disco ante medium rude et concinne, postice obsoletius punctata, fusco-picea, nonnihil nitida, pilis pallidis condensatis fasciculatim dense adspersa, præterea pilis longioribus rigidis numerosis fuscis obsita. Corpus subtus rufo-fuscum, minutissime dense sed vix visibiliter punctulatum, dense griseo-vilosum; ano segmentorumque marginibus dilutioribus. Pedes breves, robusti, rufo-fusci, dense villosi.

483. ISARTHRON *femorale* MENETRIES.

*Nigro-fuscum, opacum; antennis, femorum basi, tibiis tarsisque rufo-testaceis; thorace densissime minute granulato; elytris complanatis, parallelis, obscure lurido-testaceis, dense pilosis.*

Longitudo 4 lin. Lat.  $1\frac{1}{4}$  lin.

MÉNÉTRIÉS, Catalogue raisonné. pag. 228. n. 1038.

Callidio fusco Fabr. proximum, sed paullo minus præser-tim angustius; antennis multo tenuioribus; capite antice angustato; thorace breviore nec non convxiore; elytris lævio-ribus, dense pilosis aliisque notis faciliter dignoscitur.

Caput nigro-fuscum, ubique creberrime at minutissime granulatum, vertice convexum, antice angustatum, pone anten-nas transversim leviter impressum, fronte nonnihil implana et subtilissime longitudinaliter canaliculata; pilis longis, testaceis parce ubique adspersum. Antennæ corpore parum breviores, tenues, rufæ, antrorum attenuatæ; articulis omnibus apice pilis nonnullis rigidis obsitis; 4—6 nitidis, apice infuscatis, subse-quentibus dilutioribus, opacis. Oculi vix prominuli, aterrimi. Thorax ante medium longitudine paullo latior, nigro-fuscus, opacus, ubique creberrime sed minutissime granulatus, late-ribus ampliato-rotundatus seu gibbus, disco leviter impressus, pone medium carinula obsoleta, nitida notatus, pilis rigidis parce obsitus. Scutellum latiusculum, postice rotundatum, supra planum, pilis condensatis testaceis, dense obductum. Elytra basi thoracis dimidio fere latiora, lateribus parallela, acute marginata, apice rotundata, disco plana, pilis prostra-

tis brevissimis testaceis dense vestita, obsolete alutacea, obscure lurido-testacea. Corpus subitus cylindricum, nigro-fuscum, subnitidum, minutissime punctulatum, parce testaceo-pilosum; segmento anali lurido-testaceo. Pedes longi, parce pilosi; femoribus omnibus clavatis, fuscis, basi valde attenuatis ibique rufis; tibiis tenuibus, linearibus, lurido-testaceis; tarsis dilatioribus.

484. *Clytus lugubris* MÉNÉTRIES. Tab. VIII. f. 2.

*Ater, dense tomentosus, thorace utrinque angulatim valde producto; elytris basi punctis quatuor, vitta axillari, fascia lunari media punctisque tribus apice, albis; tarsis antennisque apice ferrugineis.*

Longitudo  $5\frac{1}{2}$  — 7 lin. Lat.  $1\frac{3}{4}$  —  $2\frac{1}{4}$  lin.

MÉNÉTRIÉS, Catalogue Raisonné, pag. 229. n. 1051.

Statura et magnitudine omnino Clyti arcuati Fabr., tamen pictura valde diversus.

Caput atrum, sub-nitidum, parce pilosum, rude punctatum, supra inter oculos late excavatum, inter antennas transversim elevatum, in medio longitudinaliter anguste sed profunde canaliculatum, ad apicem transversim late et sat profunde impressum, fundo impressionis pilis brevissimis albis dense instructo. Antennæ corpore parum breviores, validiusculæ, nigræ, sub-nitidæ, extus parce pilosæ, apice ferrugineæ. Oculi magni, prominuli, nigri, antice profunde impressi. Thorax longitudine latior, ater, tomentosus, certo situ fusco-micans, lateribus pulvinatus, in angulo obtuso valde productus, ubique pilis laxis, testaceis parce obsitus, supra modice convexus, pone medium utrinque sub-lunatim impressus, in impressioni-

bus obsolete albicante-pilosus. Scutellum transversum, postice obtuse rotundatum, supra parum convexum, basi atrum, postice totum densissime albo-pilosum, sed pilis brevissimis et valde condensatis. Elytra a thorace concinne remota eoque paullo angustiora, postice sensim angustata, apice parum dehiscentia, singulatim rotundata, humeris nonnihil elevatis, gibbis; atra, tomentosa, supra convexa, certo situ obscure fusca, in singulo sub humero vitta abbreviata angulari alba, supra callum humerale puncto parvo, transverso, sub-detrito, pone scutellum altero majori, communi, dein paullo ante medium duobus transversim positis, fascia angustissima valde arcuata suturam sed marginem haud attingente paullo pone medium, posterius iterum puncto communi alteroque latera versus et in ipso apice interiore lineola marginali albis. Corpus subtus atrum, sub-nitidum, pilis testaceis, rigidis vestitum; pectore maculis utrinque et segmentorum lateribus fasciis latis albis e pilis brevissimis condensatis ornatis. Pedes longiusculi, validi, nigri, parce pilosi, obsoletissime et minutissime sed dense punctati; femoribus sub-clavatis, nigris; tarsis ferrugineis, subtus densissime rufo-spongiosis; tibiis piceis.

¶85. *Clytus Faldermanni* DEJEAN. Tab. VIII. f. 3.

*Niger, densissime cinereo-pubescent; antennis pedibusque cinereo-ferrugineis; thorace elongato, tri-maculato; elytris lunula humerali, fasciisque duabus latis nigro-fuscis, quarum fascia media interrupta.*

Longit.  $3\frac{5}{6}$  — 6 lin. Lat.  $1 - 1\frac{1}{2}$  lin.

Statura et pictura C. Verbasci, sed paullo brevior et latior;

colore nec non elytrorum fascia media semper interrupta præcipue differre videtur.

Caput elongatum, nigrum, pube densissima valde depressa cinerea vestitum, inter oculos granulatum, vertice nudum, creberrime punctulatum, fronte inter antennas elevata, in medio sat profunde excavata. Oculi majores, modice prominuli, nigri, antice profunde emarginati. Antennæ corporis dimidium parum superantes, crassiusculæ, filiformes, ferrugineæ, pube brevissima cinerea dense tectæ. Thorax latitudine paullo longior, cylindricus, lateribus dilatatus, ampliato-pulvinatus, basi apiceque truncatus, supra æqualiter valde convexus, ubique confertissime ac minutissime punctatus, pube cinerea densa valde depressa obductus, macula magna subtransversa, fusco-nigra in medio disci, et puncto parvo utrinque decoratus, lateribus subtus foveolis numerosis nigris adspersus. Scutellum latiusculum, triangulare, dense cinereo-pubescens. Elytra thoracis medio paullo latiora, postice vix angustata, apice singulatim oblique truncata, nonnihil dehiscentia, supra cylindrica, obsolete alutacea, pube simili uti thorax tecta, humeris productis, callosis; in singulo lunula lata humerali, in medio fascia transversa latiore externe interrupta ibique parum dilatata, et alia intra apicem paullo angustiore integra sub-denudata interne nonnihil dilatata, fusco-nigris. Corpus subtus cylindricum, postice attenuatum, ubique densissime flavo-cinereo-pubescens; segmento anali pilis non nullis longis obsito. Pedes graciles, elongati, ferruginei, cinereo-pubescentes, tibiis tarsisque parum dilutioribus.

*Var. α.* multo minor, præsertim angustior; antennis subtilater pilosis; thorace immaculato, lateribus plerumque magis

dilatato; elytris apice magis dehiscentibus cum fasciis lunulisque valde detritis.

*Var. β.* Præcedente dimidio fere minor et magis cylindrica; antennis fuscis, sub-glabris; thoracis macula valde detrita cum punctis lateralibus confluente.

486. *GRACILIA fasciolata* ZIEGLER. Tab. VIII. f. 4.

*Linearis-elongata, fusca; thorace disco tenuiter bi-impresso; elytris crebre et rude punctatis, variolis minutis piliferis longitudinaliter remote obsitis, fascia media lata sinuata maculaque oblonga apicali testaceis.*

Longit. 4 —  $5\frac{1}{2}$  lin. Lat.  $1\frac{1}{6} — 1\frac{1}{2}$  lin.

Callidium timidum MÉNÉTRIÉS Catalogue raisonné. p. 228. n. 1040.

Statura omnino Obrii obliqui Dej. dimidio tamen minor.

Caput porrectum, fuscum, undique minutissime sed densissime punctatum, vertice transversim pulvinatum, inter antennas impressum; antice inæqualiter profunde exaratum ibique testaceo-pilosum. Oculi atri, modice prominuli. Antennæ tenues, filiformes, corpore paullo longiores, fuscæ, apice dilutiores, pilis longis rigidis parce obsitæ; articulis omnibus apice testaceis. Thorax latitudine multo longior, fuscus, basi apiceque truncatus, margine postico valde reflexo, ante scutellum subtiliter emarginato; lateribus in medio gibbus, supra inæqualiter convexus, ante apicem transversim et in medio disci utrinque longitudinaliter leviter impressus, ubique subtiliter alutaceus, nec non granulis nonnullis vage adspersus, pube depressa testacea et pilis aliquot rigidis longis inæqualiter

parce obductus. Scutellum transversum, postice obtuse rotundatum, supra planum, fuscum, dense punctatum. Elytra valde elongata, thorace multo latiora, lateribus parallela, apice nonnihil dehiscentia, rotundata, supra fere plana, sub-nitida, fusca, rude et crebre punctata, pube brevissima parce tecta, præterea variolis numerosis parvis piliferis sub-seriatim collacatis instructa; in medio fascia lata, sinuata, extrorsum dilatata et macula apicali elongata intra marginem lateralem testaceis. Corpus subtus cylindricum, fuscum, nitidum, obsoletissime punctulatum, pilis brevissimis perparce vestitum; segmento anali truncato, pilis longioribus densius obsito. Pedes tenues, fusti, pubescentes; femoribus sub-compressis; tarsis dilutioribus.

487. *Astynomus hirsutulus* MIHI. Tab. VIII. f. 5.

*Fuscus, opacus, griseo-pubescent; antennis pilis longis parce obsitis; thoracis disco longitudinaliter carinato; elytris punctatis, hirsutis, postice subseriatim granulatis, apice valde dehiscentibus, singulatim acuminatis.*

Longit. 3 lin. Lat. 1 lin.

Pogonochero balteato FABR. sub-similis, sed duplo fere major, thorace breviore, elytris apice valde dehiscentibus, singulatim acuminatis aliisque notis faciliter dignoscitur.

Caput rotundatum, fuscum, confertissime sed obsoletissime punctulatum, dense pubescens, fronte inter antennas impressa, anterius modice convexa, in medio longitudinaliter anguste sed profunde canaliculata. Oculi concinne prominentes, introsum versus antennas profunde sinuati, nigri. Antennæ corpore di-

midio longiores, tenues, filiformes, fuscæ, pilis longis parce obsitæ; articulus primus in medio dilatatus ibique cæteris duplo fere crassior. Thorax transversus longitudine duplo latior, fuscus, basi apiceque truncatus, concinne reflexus, lateribus dilatatus paullo mox pone medium in spinam brevem acutam recurvatam productus, disco æqualiter parum convexus, in medio longitudinaliter obsolete carinatus, ubique creberrime at minutissime punctatus, pilis griseis prostratis in disco parce, latera versus densius obtectus. Scutellum parvum, valde retractum, triangulare, basi late nec profunde emarginatum. Elytra thorace dimidio latiora, basi truncata, humeris rectangulis, callosis; lateribus parallela, apice valde dehiscentia, singulatim obtuse acuminata, supra parum convexa, pone scutellum et intra humeros impressa, undique concinne crebre punctata, fusca, inæqualiter sub-maculatim griseo-pubescentia, pilis rigidis longis, nigris adspersa, apicem versus foveolis parvis nec non granulis obsoletis sub-seriatim instructa. Corpus subtus nigro-fuscum, pilis griseis valde condensatis sat dense vestitum. Pedes fusci, pilis brevissimis, griseis prostratis et longioribus rigidis, nigris immixtis obsiti; femoribus omnibus valde incrassatis, sub-nigricantibus.

488. MONOCHAMUS *Lignator* DEJEAN. Tab. VIII. f. 6.

*Sub-cylindricus, opacus, niger, totus dense pubescens; scutello rubro-tomentoso; elytris rude punctatis, rubro-irroratis; antennis nigris, griseo-maculatis.*

Longit. 9 lin. Lat. 3 lin.

*Monochamo Sutori* FABR. quodammodo similis.

Caput latitudine thoracis, nigrum, crebre punctulatum, pubescens, tomento flavo-rubro sat dense præsertim antice tectum, vertice convexum, fronte perpendiculariter retusa; supra in medio inter oculos excavatum. Oculi mediocres, sat prominenti, nigri. Antennæ corpore dimidio longiores, dense pubescentes, nigræ; articulis omnibus ad basin late griseis; articulo basali valido, obsolete alutaceo. Thorax transversus, basi apicemque truncatus, basi vix bi-sinuatus, utrinque spina crassa, acuminata basi valde dilatata armatus, supra pone apicem leviter constrictus, ante basin transversim paullo impressus, lateribus dense in medio disci parcius sub-fasciculatim rubro-pilosus, præterea ubique transversim crebre rugulosus. Elytra thorace dimidio fere latiora, basi utrinque sinuata, humeris valde prominulis, rotundatis; lateribus fere linearia postice nonnihil angustata, apice rotundata, supra æqualiter convexa fere cylindrica, nigra, opaca, dense fusco-pubescentia, ubique pilis valde condensatis flavo-rubris maculatim collocatis irrorata, antice crebre rude et profunde postice obsoletius punctata, basi granulata. Corpus subtus cylindricum, nigrum, pilis flavo-rubris sub-maculatim dense vestitum. Pedes elongati, robusti, nigri, densissime griseo-pubescentes.

489. *MORIMUS verecundus* MIHI.

*Niger, dense cinereo-pubescent; thorace cylindrico, confer-  
tim rugoso; elytris oblongo-ovatis, cinereis, fusco-irrora-  
tis, singulo maculis duabus fusco-nigris notatis.*

Longit.  $9\frac{1}{2}$  lin. Lat. 4 lin.

*Lamia verecunda* FALD. Bull. Mosq. Tome IX. pag. 396.  
Tab. VIII. fig. 6.

Statura omnino *Lamiæ lugubris* FABR., sed duplo minor, postice magis ampliatus, thoracis structura nec non elytrorum pictura faciliter dignoscitur.

Caput cinereo-nigrum, ubique crebre concinne rugoso-punctatum, vertice profunde excavatum; fronte plana, quadrata, pube tenuissima valde condensata grisea obtecta. Antennæ corpore paullo longiores, validæ, obsolete punctatæ, apicem versus sensim attenuatæ, laeviores, nigro-fuscæ; articulo basali valde incrassato, cylindrico, nigro, rude et crebre punctato. Thorax cylindricus, longitudine vix latior, nigro-cinereus, ubique crebre rugoso-punctatus, ante medium transversim impressus, basi apiceque truncatus, flavo-ciliatus, in medio disci tubercula nonnulla, valde obsoleta, grisea observantur, lateribus spina valida armatus. Scutellum transversum, postice rotundatum, nigrum, pube cinerea densissime obductum. Elytra thoracis basi dimidio fere latiora, et illo quadruplo longiora, basi truncata, humeris nonnihil productis, sub-orrectis, rotundatis; lateribus in medio parum dilatata, apice rotundata, sub-dehiscentia, angulis obtusis; supra fornicata, pone humerum late impressa; disco antico paullo deplanato, medio convexiore; pube grisea valde depressa densissime obtecta, fusco-irrorata; granulis parvis, globosis in disco anteriore majoribus, postice sensim evanescentibus, nigris, nitidis, dense obsita; in singulo macula parva paullo ante medium, et altera pone medium latiore, sub-sinuata, fusco-nigra signata. Corpus subtus cinereo-nigrum, subtilissime vage punctulatum; segmentorum marginibus postice testaceo-pilosus. Pedes validi, cinereo-nigri, obsolete crebre punctulati; tarsis subtus densissime fulvo-spongiosis.

490. DORCADION *indutum* MIHI. Tab. VIII. f. 7.

*Elongato-ovatum, nigrum, supra opacum; antennis pedibusque rufis, nitidis; elytris pube pruinosa densissima vestitis, sutura tota, vitta basali abbreviata, margineque laterali interiore fuscis.*

Longit.  $6\frac{1}{2}$  lin. Lat.  $2\frac{1}{2}$  lin.

*Dorcadioni fuliginatori* FABR. proximum.

Caput magnum, retusum, inæqualiter vage sed grosse punctatum, lateribus pone oculos crebre concinne rugosum, nigrum, glabrum, vertice subtiliter canaliculatum, fovea lata et sat profunda sub-triangulari inter antennas instructum; fronte parum convexa; puncto majori intra marginem anticum utrinque notatum. Oculi valde retracti, parvi, nigro-fusci. Antennæ corporis dimidium haud superantes, crassæ, obsoletissime vage punctulatæ, rufæ, glabræ, nitidæ, extrorsum sensim attenuatæ, apice nonnihil obscuriores; articulis 3—8 externe apice longitudinaliter parum excavatis, in cavationibus nonnihil infuscatis. Thorax longitudine latior, basi late sed obtuse rotundatus, apice truncatus, in medio leviter emarginatus, lateribus dilatatus, spina parva sub-acuta armatus, niger, glaber, ubique crebre exsculptus, dorso modice convexus, antice nonnihil deplanatus. Scutellum parvum, triangulare, glabrum, nigrum, nitidum, postice acuminatum, disco longitudinaliter late canaliculatus. Elytra thorace paullo latiora, oblongo-ovata, lateribus modice dilatata, apice parum dehiscentia, obtuse rotundata, basi late sed haud profunde emarginata, humeris vix productis, rotundatis; disco æqualiter convexa, tota pube pruinosa densissima et valde condensata obtecta, lateribus apicem versus et apice

ipso rufo-marginata ; margine laterali interno et tota sutura late , nec non vitta basali abbreviata angustissima in singulo fusco-nigris. Corpus subtus ampliato-cylindricum, nigrum, sub-nitidum , obsoletissime minute punctulatum , sub-coriaceum, perparce cano-pubescentes ; ano ferrugineo-marginato. Pedes elongati, robusti, rufi, sub-nitidi, parce pubescentes.

491. DORCADION *glaucum* MIHI. Tab. VIII. f. 8.

*Elongato-ovatum, nigrum, sub-nitidum ; elytris opacis vellere glauco obtectis, margine laterali interno nigro, nitido, basi et apice vitta abbreviata fusco-atra.*

Longit.  $6\frac{1}{4}$  lin. Lat.  $2\frac{1}{2}$  lin.

Statura et magnitudo omnino præcedentis, sed thorace breviore , antennis tenuioribus, elytrisque magis convexis etc.

Caput mediocre, sub-quadratum, nigrum, nitidum, punctis parvis sed profundis numerosis ubique vage adspersum, vertice deplanatum, inter antennas late ac minus profunde impressum, canalicula angustissima in medio disci per totam longitudinem instructum. Oculi retracti, nigro-fusci. Antennæ dimidio corporis parum longiores, nigræ, sub-tenues, basi nitidæ, extrorsum opacæ, fusco-micantes. Thorax transversus, longitudine duplo fere latior , niger , convexus , crebre exarato-punctatus, basi ante scutellum nonnihil productus , reflexo-marginatus, apice in medio leviter emarginatus ibique subtiliter testaceo-ciliatus, lateribus spina valida, porrecta, acuta, armatus. Scutellum triangulare, nigrum, disco anteriore in medio profunde excavato. Elytra oblongo-ovata, basi late nec profunde emarginata , humeris rotundatis , haud porrectis ; lateribus parum

dilatata, apice singulatim rotundata, supra fornicata, vellere glauco densissime vestita; margine laterali interno toto nigro, nitido, crebre rugoso-punctato; interdum vitta abbreviata modo ad basin et ad apicem iterum fusco-atra, opaca. Corpus sub-tus nigrum, nitidum, inflatum, subtiliter punctulatum, vix pubescens. Pedes robusti, breviusculi, nigri, obsolete alutacei et densius cano-pubescentes.

492. DORCADION *læve* MIHI. Tab. VIII. f. 9.

*Totum atrum, supra glabrum, sub-nitidum; vertice gibbo; elytris elongato-ovatis, obsoletissime coriaceis, margine laterali interno antice alte elevato, punctato-crenato.*

Longit. 7 lin. Lat. 3 lin.

Præcedenti valde affine; tamen capite thoraceque minus crebre sed rudius punctatis, elytris glabris, atris, utrinque alte marginatis præcipue differre videtur.

Caput magnum, atrum, nitidum, vage punctatum, vertice gibbum, fronte plana, longitudinaliter canaliculata. Oculi valde retracti, picei. Antennæ dimidio corporis vix longiores, crassæ, extrorsum valde attenuatæ, nigræ, subtilissime pubescentes, apice leviter infuscatae; articulo basali sub-nudo, nitido, dense punctulato. Thorax brevis, longitudine dimidio latior, ater, sub-nitidus, basi utrinque leviter sinuatus, medio nonnihil productus, lateribus spina parva, modice acuminata armatus, apice truncatus, supra parum convexus, punctis majoribus confluentibus et paucis immixtis dense adspersus, disco longitudinaliter angustissime canaliculatus. Scutellum latiusculum, triangulare, atrum, nitidum, disco leviter impressum. Elytra oblongo-

ovata, basi obtusa, lateribus modice dilatata, apice singulatim obtuse rotundata fere truncata, supra convexa, atra, nuda, lœvia, sub oculo armato obsoletissime coriacea; margine laterali interiore antice acute et alte elevato, crebre punctato-crenato; intra marginem longitudinaliter impressa. Corpus subtus valde convexum, atrum, nitidum, subtilissime punctatum, nec non tenuissime pubescens. Pedes robusti, nigri, nitidi, crebre minute punctulati et densius cano-pubescentes.

493. *DORCADION scabricolle* DALM. Tab. IX. f. 1.

*Oblongo-ovatum, nigrum; capite thoraceque lucidis; elytris sub-parallelis, atro-holosericeis, sutura, margine exteriore vittaque lateralī candidissimis; antennarum basi pedibusque rufis.*

Longit. 8 lin. Lat.  $2\frac{1}{2}$ —3 lin.

SCHÖNH. Syn. Insect. III. p. 400, 246.

*Dorcadioni rubripedi* ZIEGLER paullo simile, sed multo majus, elytris magis parallelis earumque pictura faciliter distinguitur.

Caput nigrum, nitidissimum, punctis profundioribus superne vage sed pone oculos et subtus crebre adspersum, vertice gibbum, obsolete canaliculatum, inter antennas sat profunde nec non late impressum; fronte plana, in medio longitudinaliter tenue impressa; apice pilis nonnullis obsitum, ibique foveola lata, rotundata sed non profunda utrinque instructum; ore dense ferrugineo-ciliato. Antennæ corporis dimidio evidenter longiores, valde incrassatæ, piceo-nigræ, nitidæ, subtilissime pubescentes; articulo basali rufo, dense punctulato. Oculi vix

prominuli, picei. Thorax longitudine dimidio fere latior, basi rotundatus, reflexus; apice truncatus lateribus angulatim productus, spina parva munitus, supra convexus, obsolete canaliculatus, punctis majoribus profundiusque sub-confluentibus in medio disci vage utrinque et postice crebrius rugosus, niger, lucidus, medio disci deplanatus. Scutellum elongatum, nigrum, opacum, late albo-marginatum. Elytra elongata, basi late sed haud profunde emarginata, lateribus sub-parallelia, pone medium oblique parum angustata, apice singulatim ampliato-rotundata; humeris productis, obtuse rotundatis; supra æqualiter convexa, atro-holosericea, margine exteriore internoque, sutura tota nec non lineola basali intra humeros pube candissima dense tecta. Corpus subtus cylindricum, nigrum, obsolete alutaceum, parce cinereo-pubescentis; segmentorum marginibus postice, anoque ferrugineo-marginatis. Pedes robusti, longiusculi, rufi, nitidi, subtiliter punctulati, pube grisea parce vestiti; tibiis posticis valde arcuatis.

494. DORCADION *corpulentum* ♀ MANNERHEIM. Tab. IX. f. 2.

*Crassum, nigrum; antennarum articulo basali pedibusque rufis; thorace profunde canaliculato; elytris late ovatis, fusco-pubescentibus, canaliculatis, sutura tota vittisque duabus lateribus in singulo albis.*

Longit.  $7\frac{1}{2}$  lin. Lat.  $3\frac{1}{2}$  lin.

MÉNÉTRIÉS, Catalogue raisonné. p. 226. n. 1025.

Præcedenti valde simile, sed multo crassius; vertice didymo, thorace minutius nec non crebrius punctato et evidentius canaliculato, elytris magis dehiscentibus aliisque notis differre videtur. An ne Varietas Feminæ præcedentis?

Caput magnum, crassum, nigrum, minute vage punctatum, basi fusco-micans, vertice gibbum, didymum, inter antennas inæqualiter profunde excavatum; fronte plana, obsoletissime coriacea. Antennæ breviusculæ, crassæ, piceæ, extrorsum dense pubescentes; articulo basali rufo. Thorax transversus, basi obtuse rotundatus, apice late sed haud profunde emarginatus, supra inæqualiter convexus, in disco longitudinaliter profunde canaliculatus, intra basin utrinque impressus, niger, ubique crebre rugoso-punctatus, lateribus parce fusco-pubescentes, ibique spina magna acuta armatus. Scutellum latiusculum, triangulare, nigrum, margine subtiliter albo-marginatum. Elytra lata, oblongo-ovata, lateribus ampliata, apice valde dehiscentia, singulatim rotundata, apice ipso rufo-marginata, supra inæqualia, fusco-pubescentia, basi utrinque obsolete sed late carinata, disco utrinque longitudinaliter late canaliculata; sutura margine exteriore canaliculaque albo-pubescentia. Corpus subtus incrassatum, nigrum, obsoletissime coriaceum, in medio parce, latera versus densius griseo-pubescentes; segmento penultimo postice rufo-marginato; segmento anali intra marginem transversim impresso; margine ipso piceo dense piloso. Pedes robusti, compressi, rufi, nitidi, creberrime minute punctulati, pubescentes; tarsis paullo obscurioribus.

## 495. DORCADION persicum MIHI. Tob. IX. f. 3.

*Atrum, opacum; capite, corpore subtus pedibusque dense cinereo-pubescentibus; vertice bi-carinato; thoracis disco vittis binis notato; elytris breviter ovatis, sutura tota alba vittisque duabus in singulo e pilis condensatis albis ornatis.*

Longit. 6 lin. Lat.  $2\frac{2}{3}$  lin.

Magnitudo et fere statura *Dorcadionis decipientis* BÖBER, sed thorace breviore et in elytris multo latius et minus convexum etc.

Caput sub-retractum, crassiusculum, atrum, setulis albidis et pilis immixtis dense adspersum, vertice carinulis duabus angustis, atro-fusco-tomentosis, signatum, præterea canalicula angustissima nigra longitudinali a basi usque ad apicem protensa; inter oculos tenuiter impressum; fronte modice convexa, minute et vage granulata, intra apicem leviter transversim impressa. Oculi vix prominuli, fusci. Antennæ corpore paullo breviores, subtiliter pubescentes, validæ, nigræ, apice piceofuscæ. Thorax transversus, latitudine duplo brevior, basi truncatus, apice in medio leviter emarginatus, supra convexus, minute at dense punctatus, ater, opacus, in medio disci profunde canaliculatus utrinque carina atro-fusco-tomentosa, ad apicem basinque conjunctis, in medio latera versus parum protensis; lateribus gibbus, spina parva sed acuta munitus. Scutellum latum, triangulare, densissime albido-pubescens, medio disci longitudinaliter canaliculata angusta tamen profunda instructum. Elytra breviter ovata, lateribus ampliato-dilatata, apice obtuse singulatim rotundata, supra modice convexa,

inæqualia, atro-holosericea, utrinque valde declivia, margine exteriore suturaque late alba, præterea vittis latis ad marginem interiorem binis, basi conjunctis, in singulo elytro; vitta interiore abbreviata, angustiore, sub-sinuata, pone medium evanescente, exteriore a basi usque apicem protensa. Corpus subitus atrum, pube cinerea densissima et valde depressa vestitum. Pedes longiusculi, robusti, nigri, pube flavo-cinerea dense obducti; tarsis elongatis, subtus dense fulvo-spongiosis.

496. SAPERDA *mirabilis* MIHI. Tab. IX. f. 4.

*Maxima, cylindrica, parallela, tota nigra; antennis crassis; thorace creberrime rugoso-punctato, dense fusco-villoso; elytris cribellatis, setulis flavis condensatis fasciculatim remote adspersis.*

Longit.  $15\frac{1}{2}$  lin. Lat. 5 lin.

Saperdarum quantum mihi innotuit maxima; Saperdæ Carcharitis Fab. quodammodo statura.

Caput productum, sub-deflexum, nigrum, nitidum, crebre rude eroso-punctatum, inæqualiter fusco-villosum, canalicula concinna in medio disci a basi usque ad apicem instructum, vertice convexum, fronte late sed haud profunde excavata, juxta marginem anticum linea transversa sat profunde impressum; ore dense fusco-piloso. Oculi parvi, non prominuli, atri. Antennæ corporis medio parum longiores, basi valde incrassatæ, totæ nigræ, dense pubescentes, nonnihil nitidæ, tenuissime punctulatæ, apice sub-infuscatæ. Thorax latitudine brevior, niger, sub-nitidus, basi apiceque truncatus, lateribus in medio productus seu gibbus, supra convexus, inæqualis, ubique creberrime rugoso-punctatus, sat dense fusco-villosus,

intra apicem late, sed minus profunde, at juxta basin transversim, anguste nec non profunde impressus, in medio disci utrinque nodulo signatus, præterea intra basin utrinque carinula obliqua angusta et altera latiore nec non obsoletiore et magis nitida pone medium instructus. Scutellum latiusculum, subtriangulare, apice obtusum, disco impressum, pilis fuscis prostratis densissime obductum, nigrum; margine laterali nudo, nitido. Elytra basi thoracis dimidio latiora, basi late sed haud profunde emarginata, humeris productis, rotundatis; lateribus parallela, carinato-marginata, postice parum angustata, apice concinne dehiscentia, singulatim acute rotundata, supra convexa, intra humerum longitudinaliter parum profunde impressa, latera versus præcipue postice cylindrica, undique æqualiter confertim cribellata, nigra, sub-nitida, pilis brevibus flavis condensatis fasciculatim dispersis variegata, præterea pilis rigidis fuscis longis parce obsita. Corpus subtus cylindricum, minute punctatum, nigrum, sub-nitidum, thorace subtus pectoreque dense fusco-villosum; abdomine pube grisea erecta et pilis longis rigidis fuscis vase immixtis parce vestitum; ano emarginato. Pedes longiusculi, validi, nigri, punctati, sub-nitidi, sat dense pilosi.

497. SAPERDA *Scovitzii* MIHI. Tab. IX. f. 5.

*Picea*; fronte, thorace, corpore subtus elytrorumque margine laterali antico densissime flavo-villosum; elytris valde attenuatis, scrobiculatis, sub-nitidis, vittis tribus albidis sub-interruptis in singulo decoratis.

Longit. 8—13 lin. Lat.  $2\frac{1}{6}$ — $4\frac{2}{3}$  lin.

Statura omnino Saperdæ Carcharitis Fabr. elytris tamen magis attenuatis etc.

Caput parvum, productum, valde declinatum, nigrum, confertissime exarato-punctatum, disco longitudinaliter obsolete canaliculatum, vertice convexum, parce flavo-pubescent, lateribus pone oculos sub-gibbum, ibique pube flava densa e pilis longis rigidis dense immixtis obtectum; fronte late et sat profunde impressa, antice densissime flavo-villosa; inter antenas laevius, paullo nitidum. Oculi mediocres, modice prominenti, aterrimi. Antennae corpore parum breviores, validæ, nigræ, apice nonnihil dilutiores, pube atro-fusca dense obductæ; articulo basali maximo, dense punctulato. Thorax transversus, longitudine duplo fere latior, lateribus ampliato-rotundatus seu gibbus, apice truncatus, basi utrinque leviter sinuatus, disco fornicatus, intra apicem transversim late et sat profunde impressus, undique crebre punctatus nec non densissime flavo-vilosus. Scutellum sub-quadratum, postice obtuse rotundatum, supra planum, pilis flavis longioribus prostratis totum dense tectum. Elytra thorace multo latiora, apicem versus oblique subulatim attenuata, apice dehiscentia, singulatim acute rotundata, basi utrinque interne oblique truncata, humeris productis, ampliato-rotundatis; supra deplanata, sub-nitida, intra humerum et pone scutellum leviter impressa, ante medium nigra vel picea, postice dilutiora, pone medium utrinque vitta lata rufo-fusca, ubique confertim subseriatim profunde cribellata, basi parce sed sutura tota dense atro-fusco-pilosa; lateribus ante medium densissime flavo-villosa, postice glabra, carinato-marginata; in singulo elytro vittis tribus sub-interruptis, linearibus, apice confluentibus, e pilis brevibus, flavo-albidis, condensatis, ornata. Corpus subtus postice attenuatum, cylindricum, ubique densissime flavo-villosum;

segmento anali apice rufo, leviter emarginato, intra apicem profunde et late excavato. Pedes robusti, nigri, minute punctati, inæqualiter dense flavo-villosi; tarsis ferrugineis.

498. *SAPERDA argentata* MENETRIES. Tab. IX. f. 6.

*Nigra, opaca, dense cinereo-sericea, sub-villosa; antennis maculatis; thorace vittis tribus lanuginosis cinereo-flavis; elytris depresso-depressis, vase punctatis, densissime cinereo-pubescentibus, apice singulatim sub-acuminatis.*

Longit.  $6\frac{1}{2}$  lin. Lat.  $2\frac{1}{2}$  lin.

MÉNÉTRIES Catalogue raisonné pag. 227. n. 1032.

Saperdæ hirsutulæ valde affinis et similis, tamen plus duplo major, præsertim latior; thorace breviore, elytris plerumque magis attenuatis præcipue differt.

Caput nigrum, opacum, creberrime minute punctatum, vertice convexum, inter oculos depresso, parce pubescens, pone oculos et subtus dense flavo-albido-villosum. Oculi magni, parum prominuli, aterrimi, pilis pallidis, longis, dense cingulati. Antennæ longitudine corporis, tenues, fusco-nigræ, griseo-annulatae, dense pubescentes, pilis nonnullis rigidis, nigris adspersæ. Thorax brevis, longitudine plus dimidio latior, basi apiceque truncatus, reflexo-marginatus, lateribus dilatato pulvinatus, cylindricus, niger, opacus, undique confertissime, minute sed profunde punctatus, supra parce, subtus densissime cinereo-villosus, in disco ante medium transversim late sed haud profunde impressus, vittis tribus cinereo-flavo-lanuginosis angustis signatus. Scutellum latiuscu-

lum, supra planum, densissime cinereo-pilosum, postice obtuse rotundatum. Elytra basi thoracis dimidio latiora, postice angustata, apice valde dehiscentia, singulatim attenuata, sub-acuminata, supra depressa, nigra, pube cinereo-sericea brevissima et valde depressa densissime vestita, punctis parvis sed profundis nigris confertim adspersa, lateribus pulvinata, obsolete carinato-marginata ibique subtiliter flavo-pubescentia, basi truncata, humeris vix prominulis, obtuse rotundatis. Corpus subtus nigrum, abdomine attenuatum, cylindricum, totum densissime cinereo-sericeum, sub-villosum; ano ferrugineo. Pedes longiusculi, sub-tenues, nigri, dense griseo-pubescentes.

499. *SAPERDA holosericea* MIHI. Tab. IX. f. 7.

*Nigra, opaca, densissime cinereo-sericea; antennis nigris, immaculatis vitta angusta verticali et tribus in thoracis disco cinereis; elytris depressis, nigris, pube cinerea densissima, maculatim adspersis, postice attenuatis, apice truncatis.*

Longit.  $5\frac{1}{4}$  lin. Lat.  $1\frac{2}{3}$  lin.

Statura et colore præcedenti sub-similis, tamen thorace longiore, antennis non maculatis aliisque notis satis distincta.

Caput rotundatum, sat productum, nigrum, opacum, ubique densissime cinereo-sericeum, foveola triangulari inter antennas instructum, vertice subtilissime punctulatum, vitta linearis albida signatum. Oculi mediocres, vix prominuli, aterrimi, pilis longis pallidis dense cingulati. Antennæ corpore parum breviores, tenues, totæ nigræ, pube cinerea brevissi-

ma densissime obductæ. Thorax longitudine vix latior, cylindricus, basi apiceque truncatus, subtiliter marginatus, lateribus vix productus fere linearis, ubique creberrime punctulatus, niger, opacus, undique densissime cinereo-sericeus, vitta dorsali longitudinali cinerea et altera in latera e pube valde condensata utrinque ornatus. Scutellum transversum, subquadratum; postice obtuse rotundatum, dense cinereo-sericeum, disco transversim valde impressum. Elytra thorace plus di-midio latiora, basi exacte truncata, postice oblique attenuata, apice vix dehiscentia, singulatim oblique truncata, margine laterali subtilissime carinata, supra depressa, plana, utrinque declivia, nigra, opaca, punctis numerosis nigris, parvis, sed profundis, apicem versus evanescentibus adspersa, pube cinereo-sericea densissima sub-maculatim vestita; humeris sub-porrectis, obtusis. Corpus subtus nigrum, totum densissime cinereo-sericeum, sub-villosum. Pedes breves, picei, pube cinerea sub-maculatim obtecti.

500. SAPERDA *maculosa* MENETRIES. Tab. IX. f. 8.

*Nigra tota flavo-virescenti-pubescent; thorace cruce dorsali maculaque postica utrinque nigris; elytris maculis majoribus inæqualibus nonnullis absque ordine adspersis.*

Longit. 8 lin. Lat.  $2\frac{1}{2}$  lin.

MÉNÉTRIÉS, Catalogue raisonné. p. 226. n. 1029.

Statura, magnitudine, colore nec non pictura elytrorum Saperdæ scalari Fabr. exacte convenit, tamen magis detrita videtur, illa vix diversa.

Caput retractum, valde deflexum, nigrum, vage punctatum, antice dilatatum, disco angustissime canaliculatum, intra apicem transversim impressum, vertice modice convexum, ubique dense viridi-flavo-pubescent; fronte plana, macula triangulari glabra notata. Oculi parum prominuli, aterrimi. Antennæ longitudinem corporis æquantes, nigræ, basi pube viridi-flava, extrorsum grisea, maculatæ, pilis nonnullis adspersæ. Thorax latitudine vix brevior, cylindricus, niger, obsolete punctatus, basi leviter bi-sinuatus, reflexus, apice truncatus, intra apicem et paullo ante basin constrictus unde lateribus et disco in medio convexus, ubique densissime viridi-flavo-pubescent, macula magna cruciformi nuda nigra in medio disci, alteraque parva triangulari juxta basin utrinque nitida signatus, lateribus punctis quibusdam nigris adspersus. Scutellum latiusculum, nigrum, postice rotundatum, supra planum, in disco longitudinaliter anguste sed profunde canaliculatum, dense ubique pubescent. Elytra basi thoracis dimidio latiora, postice nonnihil angustata, apice singulatim acute rotundata, lateribus linearia, acute reflexo-marginata, disco deplanata, ubique confertim concinne punctata, nigra, pube brevissima flavo-viridi dense vestita, præterea maculis majoribus inæqualibus e pilis brevibus flavis dense condensatis adspersa; basi truncata, humeris sub-orrectis rotundatis; intra humerum tenuiter impressa. Corpus subtus cylindricum, densissime flavo-viridi-pubescent; segmento anali valde elongato, apice leviter emarginato, canalicula angusta sed profunda nigra in medio longitudinaliter instructo. Pedes longiusculi, sub-tenues, nigri, dense pubescentes.

501. ANÆTIA *gilvipes* STEVEN.

*Parva, nigra, sub-nitida, tota parce pilosa; capite antice valde inflexo; elytris parallelis, nigro-piceis, confertissime concinne punctatis; pedibus flavis.*

Longit. 2 lin. Lat.  $\frac{3}{4}$  lin.

Statura et magnitudo omnino Saperdæ præustæ Fabr., eique valde affinis, paullo tamen minor, thorace nonnihil breviore etc.

Caput nigrum, sub-nitidum, crebre punctatum, pilis longis rigidis testaceis adspersum, vertice convexum, obsolete carinatum, fronte inter oculos leviter impressa, anterius convexa et valde inflexa; ore ferrugineo. Antennæ corpore vix breviores, filiformes, nigræ, pube sericea densa et pilis rigidis longis vage immixtis obductæ. Oculi in medio interrupti, atri, parte superiore parva, vix prominula, inferiore multo majore, rotundata et magis prominula. Thorax latitudine evidenter brevior, cylindricus, niger, nitidus, ubique confertissime punctatus, basi utrinque late sinuatus, in medio obtuse rotundatus, lateribus in medio leviter productus, apice truncatus, dorso convexus, obsolete carinatus, intra basin transversim profunde ante medium subtilius impressus vel constrictus, pilis longis rigidis testaceis undique sat dense obsitus. Scutellum minutum, sub-transversum, nigrum, postice obtusum, supra modice impressum, parce pilosum. Elytra thorace dimidio latiora, basi truncata, humeris rectis, callosis; lateribus in medio subtiliter sinuata, pone medium vix dilatata, apice singulatim obtuse rotundata fere truncata, supra

modice convexa, ubique crebre sub-seriatim grosse punctata, nigro-picea, nitida, parce pilosa; margine lateralí inflexo, carinato. Corpus subtus totum nigrum, nitidum, obsolete minute punctatum, densius pilosum. Pedes breviusculi, tenues, remote flavo-pilosi; femoribus nonnihil incrassatis, nec non nitidioribus.

502. *PHYTOECIA puncticollis* MENETRIES. Tab. X. f. 4.

*Nigra, opaca, parce pilosa; antennarum articulo basali, capite, thorace supra, tibiis anticis femorumque apice rufis; vertice punctis tribus, thorace quinque subelevatis atris notato.*

Longit.  $7\frac{1}{2}$  lin. Lat.  $2\frac{1}{4}$  lin.

Saperdæ Argo Panz. proxima, sed multo major, et in elytris præsertim latior; thorace longiore et convxiore, antennarum articulo basali rufo, punctura capitis thoracisque, nec non colore pedum faciliter distinguitur.

Caput rotundatum, convexum, totum rufum, opacum, confertissime undique punctatum, pilis longis fuscis perparce obsitum, linea angustissima nigra in medio disci longitudinaliter impressum; basi in medio macula parva rotundata nigra subimpressa alteraque pauciore utrinque signatus, lateribus pone oculos nonnihil pulvinatum. Oculi mediocres, parum prominenti, aterrimi. Antennæ longitudine corporis, validiusculæ, lineares, nigræ, opacæ, pilis nonnullis obsitæ; articulo basali valido, sub-nitido, subtilissime punctato, rufo. Thorax latitudine paullo brevior, basi apiceque truncatus, reflexo-margi-

natus , lateribus dilatato-rotundatus , sub-gibbus , disco forniciatus , ante medium transversim late et sat profunde impressus, ubique æqualiter confertissime punctato-rugosus, pilis fuscis rigidis vage adspersus, supra rufus, opacus, subtus niger ibique densius pilosus ; in medio disci punto majusculo rotundato alte elevato glabro atro nitido, alteroque pone medium latera versus pauciori vix elevato, notatus ; carinula brevi vix elevata sub-punctiformi nigra ante scutellum ; margine postico in medio nonnihil infuscato. Scutellum parvum , triangulare , nigrum , dense pilosum. Elytra thorace evidenter latiora , basi truncata , humeris modice productis , rotundatis ; lateribus pone humeros tenuiter compressa , postice parum angustata , apice singulatim oblique truncata , margine lateralii præsertim antice valde inflexa , acute carinata , disco fere plana , tota nigra , opaca , undique creberrime minute punctata , parce pilosa , intra humerum fovea lata non profunda utrinque instructa. Corpus subtus atrum, opacum, dense pilosum ; segmento anali rufo , apice emarginato , intra apicem fascia nigra signato. Pedes validiusculi, sat dense pilosi, nigri ; femoribus omnibus a medio usque ad apicem rufis , posticis ipso apice nonnihil nigris ; tibiis anticis totis , mediis tantum a basi usque fere ad medium, sed posticis modo ad basin rufis ; præterea mediis externe pone medium marginato-dentatis.

503. PHYTOECIA *compacta* MENETRIES. Tab. XI. f. 4.

*Nigra, sub-nitida; parce pubescens; thorace transverso, lateribus late ampliato-rotundato, vittis tribus, sutura, corporis lateribus lanuginosis albis; elytrorum margine exteriore rufo-brunneo; antennis pedibusque obscure fuscis.*

Longit.  $5\frac{3}{4}$  lin. Lat. 2 lin.

MÉNÉTRIÉS Catalogue raisonné p. 228. n. 4036.

Statura fere Saperdæ affinis Panz. tamen multo latior sed haud longior.

Caput crassum, sub-rotundatum, antice oblique angustum, nigrum, nitidum, dense punctatum, densissime at brevissime pubescens, in medio disci longitudinaliter tenue canaliculatum, vertice convexum, foveola latiuscula sed non profunda inter antennas instructum, mox ante oculos nonnihil convexum ibique utrinque sub-sinuatum, margine inflexum. Antennæ corporis dimidium parum superantes, filiformes, basi glabræ, nitidæ, extrorsum pube brevissima dense obductæ unde opacæ; articulo primo et secundo nigro, reliquis obscure fuscis. Oculi prominuli, aterrimi. Thorax transversus, latitudine duplo brevior, niger, sub-nitidus, ubique creberrime rugoso-punctatus, basi apiceque truncatus, tenuiter reflexo-marginatus, lateribus late ampliato-rotundatus, supra convexus, intra apicem transversim leviter impressus, vitta angusta dorsali apicem haud attingente, alteraque latiore in latera utrinque albo-lanuginosa ornatus, præterea pilis fuscis brevisimis supra perparce, subtus densius obsitus. Scutellum transversum, triangulare, nigrum, dense albo-pilosum. Elytra

thorace paullo latiora , basi truncata , humeris nonnihil productis, obtuse rotundatis ; lateribus pone medium parum angustata , postice modice dehiscentia , apice singulatim oblique truncata , supra parum convexa , sub-nitida , ad basin nigra , posterius fusca , utrinque declivia , margine rufo-brunnea , acute carinata , punctis profundioribus grossis ubique dense instruta , sutura albo-lanuginosa , pilis brevibus vage adspersa . Corpus subtus nigrum , nitidum , subtilissime punctulatum , parce griseo-pubescentia , lateribus dense albo-lanuginosum . Pedes breves , validiusculi , obscure fusi , densius pubescentes , subtilissime punctulati sub-nitidi .

504. *PHYTOECIA azurea* STEVEN. Tab. X. f. 2.

*Brevis , lata , griseo-villosa , viridi-cyanea ; capite thorace-que nitidis ; elytris saturate cyaneis , implanis , attenuatis ; ano pedibusque rufo-brunneis ; femorum basi tarsisque nigris.*

Longit.  $4 - 4\frac{5}{4}$  lin. Lat.  $1\frac{1}{4} - 1\frac{1}{2}$  lin.

Præcedente brevior et postice in elytris magis attenuata.

Schœnh. Synon. Insect. Append. pag. 190 n. 267.

Saperda Millefolii ? Adams.

Caput magnum , rotundatum , undique convexum , subtiliter punctatum , viridi-cyaneum , nitidum , vertice parce antice densius griseo-villosum , lineola verticali longitudinali nec non foveola parva inter antennas instructum ; fronte convexa , pube cana depressa sat dense obducta ; ore pilis longis rigidis flavis dense obsito . Antennæ corpore paullo longiores ,

filiformes ; articulo basali viridi-micante, subsequentibus obscure fuscis, dense canopubescentibus nec non pilis quibusdam rigidis adspersis. Oculi mediocres, modice prominuli, atri. Thorax transversus, longitudine duplo fere latior, basi apiceque exacte truncatus, margine incrassatus, lateribus ampliato-rotundatus vel gibbus, supra convexus, juxta basin transversim et pone apicem utrinque leviter impressus, undique confertissime et minutissime granulato-punctatus, disco antice in medio nonnihil laevior, ibique lineola vix elevata glabra notatus; viridi-cyaneus, nitidus, in medio disci parum latera versus sensim densius villosus. Scutellum transversum, obscure cyaneum, sub-glabrum, basi valde impressum, apice elevatum, obtuse rotundatum. Elytra thorace paullo latiora, basi truncata, humeris porrectis, callosis; apicem versus oblique angustata, apice ipso truncata, lateribus carinato-marginata, supra depressa, inæqualia, saturate obscure cyanea, creberime rude punctata, pilis rigidis nigris obliquis dense obtecta, basi intra humerum concinne impressa. Corpus subtus saturatius viridi-cyaneum, dense griseo-villosum, subtiliter punctatum; ano rufo-brunneo. Pedes breviusculi, robusti, obsoletissime vage punctulati, parce pubescentes, rufo-brunnei, femorum basi tarsisque nigris; tibiis quatuor posterioribus apice leviter infuscatis nec non densius pubescentibus.

505. PHYTOECIA *Faldermanni* DEJEAN. Tab. X. f. 3.

*Nigra, dense pubescens, opaca; vertice vittis duabus latis rufis; antennis, thorace, pedibusque obscure rufescentibus, nigro-maculatis; thorace tuberculis septem nigris; elytris valde depresso, lurido-flavis; lateribus nigris, glabris; ano rufo-testaceo.*

Longit. 5 lin. Lat.  $1\frac{2}{5}$  lin.

Statura et colore Saperdæ Argo Panz. valde affinis et similis, tamen dimidio fere minor præsertim angustior.

Caput rotundatum, convexum, nigrum, opacum, punctis grossis sub-confluentibus dense adspersum, basi parce antice densius testaceo-pubescent sub-villosum, vertice vittis duabus latis rufis signatum ibique tenuiter canaliculatum; ore pilis pallidis rigidis dense obsito. Oculi parum prominuli, aterrimi, postice rufo-cingulati. Antennæ corpore multo breviores, pube tenuissima grisea et pilis rigidis nigris vase immixtis obductæ; articulo primo nigro, creberrime punctulato; 2—4 obscure rufescentibus apice nigris; subsequentibus obscure fuscis. Thorax longitudine paullo latior, cylindricus, basi apiceque truncatus, lateribus in medio vix dilatatus, undique crebre punctatus, dense testaceo-villosus, obscure rufescens, opacus, intra apicem transversim late impressus, in disco tuberculis septem 4, 3 nigris nitidis notatus. Scutellum transversum, apice obtuse rotundatum, supra planum, densissime villosum. Elytra thorace dimidio fere latiora, basi truncata, apicem versus oblique valde attenuata, apice sub-dehiscentia, truncata, supra valde depresso, plana, minute vix visibiliter remote punctata, pube lurido-flava densissima et valde depresso ves-

tita, lateribus declivia ibique nuda, nigra, rude et crebre punctata, carinato-marginata, margine sub humero rufo-testaceo; præterea in medio disci singulo elytri canalicula longitudinali valde obsoleta instructa. Corpus subtus nigrum, opacum, densissime cano-pubescentes, segmentis duobus ulterioribus rufo-testaceis, postice in medio late nigro-marginatis. Pedes breviusculi, dense pubescentes, obscure rufescentes, femorum basi nonnihil infuscati sed femorum tibiarumque apicibus nigris; tarsis nigris subtus densissime fusco-spongiosis.

506. *PHYTOECIA diademata* MIHI. Tab. X. f. 3.

*Brevis, parallela, atra, sub-glabra; capite, thorace pedibusque luteis, nigro-maculatis; antennis bi-coloribus; elytris testaceis, disco obsolete bicarinatis, apice late nigris.*

Longit.  $4\frac{1}{3}$  lin. Lat.  $4\frac{2}{5}$  lin.

Statura et fere Longitudo Saperdæ prætextatæ Stev. tamen triplo fere latior.

Caput magnum, crassum, sub-globosum, luteum, parce pilosum, sub-nitidum, ubique confertissime at obsolete punctulatum, lineola angustissima longitudinali, vertice in medio vix elevata et antice impressa instructum, ante oculos superne macula utrinque et vitta frontali nigris signatum, intra apicem linea angusta transversim impressum; fronte convexa. Oculi modice prominuli, aterrimi. Antennæ corporis dimidio paullo longiores, lineares, crassiusculæ, nigræ, latere interiori testaceæ; articulo basali luteo, superne vitta angusta nigra notato. Thorax brevissimus, longitudine plus duplo latior, supra luteus, subtus niger, basi apiceque truncatus, lateribus valde

dilatato-rotundatus seu gibbus, disco modice convexus, obsoletius vage punctatus, perparce pilosus, nitidus, plaga dorsali magna quadrata nigra lucida antice profunde divisa decoratus; margine postico præsertim in medio acute et alte elevato, antico nonnihil incrassato. Scutellum parvum, postice rotundatum totum nigrum, parce pubescens, disco tenuiter impressum, sub-nitidum. Elytra thorace paullo latiora, brevia, basi truncata, utrinque sinuata, lateribus parallela, pone humerum leviter sinuata, apice truncata, vix dehiscentia, utrinque ante medium valde declivia, margine incrassata, supra parum convexa, undique creberrime concinne punctata, pube brevissima vix visibiliter obtecta, in singulo carinis obsoletis duabus longitudinalibus instructa; testacea, apice late nigra. Corpus subtus atrum, cylindricum, parce griseo-pubescent, sub oculo acute armato minutissime sed crebre punctulatum; segmento anali toto luteo, apice truncato in medio vix emarginato, pilis rigidis parce obsito. Pedes mediocres, lutei, nitidi, parce pilosi; femoribus quatuor posterioribus ad apicem nigris; femorum basi, tibiis posticis apice tarsisque nonnihil infuscatis.

507. *PHYTOECIA pretiosa* MIHI. Tab. X. f. 5.

*Brevis, parallelia, nigra, sub-glabra; fronte dense flavolanuginosa; vertice bi-vittato; thorace macula magna dorsali rufa; elytris testaceis, macula triangulari basali apiceque nigris.*

Longit.  $5\frac{1}{4}$  lin. Lat.  $1\frac{5}{4}$  lin.

Statura omnino præcedentis, sed thorace longiore et in lateribus minus dilatato nec non pictura omnium partium diversa.

Caput rotundatum, nigrum, minute vage punctatum, basi sub-glabrum, nitidum, anterius dense flavo-lanuginosum, vertice vittis duabus e pube flavescenti condensata ornatum, pilis rigidis longis nigris parce adspersum, inter oculos tenuiter canaliculatum. Oculi mediocres, parum prominuli, aterrimi. Antennæ longitudine corporis, tenues, filiformes, leviter griseo-pubescentes; articulis 1—3 nigris, 4—5 fuscis apice obscurioribus, reliquis nigris densiusque pubescentibus. Thorax transversus, longitudine duplo fere latior, niger, basi truncatus, reflexo-marginatus, lateribus modice rotundatus, apice truncatus in medio subtiliter emarginatus, disco transversim parum elevatus, in medio longitudinaliter obsolete canaliculatus, laevis, nitidus, obsoletissime remote punctulatus, latera versus minute ac creberrime granulatus, pilis nonnullis rigidis adspersus, macula discoidea magna transverse ovalia rufa lucida signatus. Scutellum transversum, nigrum, dense griseo-pubescent, postice truncatum. Elytra thorace dimidio fere latiora, basi truncata, lateribus parallela, ad apicem parum angustata, apice ipso truncata, supra deplanata, utrinque valde declivia; margine laterali incrassato; undique profunde et crebre sed minute punctata, sub oculo armato pube tenuissima erecta parce obtecta; testacea, apice late nigra, præterea macula triangulari nigra magna basi contigua et medium dorsi attingente signata; ad basin intra humerum impressa nec non lineis duabus vix elevatis in singulo elytro. Corpus subtus nigrum, cylindricum, dense cano-pubescent, pilis rigidis vage abspersum. Pedes mediocres, nigri, parce pilosi; tibiis anticis mediisque ad apicem nec non femorum quatuor anticorum apicibus rufo-testaceis.

## 508. PHYTOECIA punctum ZIEGLER.

*Linearis-elongata*, nigro-cœrulea, parce griseo-pubescentia, opaca; thorace elongato, macula rufa elevata discoidea; elytris concinne punctatis, depressis; pedibus nigris, tibiis anticus totis, femoribus omnibus apice late rufo-cingulatis.

Longit.  $3 - 4\frac{1}{2}$  lin. Lat.  $\frac{3}{4} - 1\frac{1}{4}$  lin.

Saperdæ lineolæ Fabr. proxima et valde similis sed differt thorace longiore, nec non macula discoidea abbreviata et dilatata etc.

Caput thorace paullo latius, basi constrictum, antice dilatatum, sat productum, sub-transversum, nigro-cœruleum, opacum, parce pilosum, confertissime rude rugoso-punctatum, vertice convexum, angustissime canaliculatum, utrinque circum oculos leviter impressum, fronte longitudinaliter late sed haud profunde impressa, ad apicem gibba; apice ipso utrinque bi-dentato. Oculi parvi, modice prominuli, atri. Antennæ longitudine corporis, tenues, filiformes, obscure cœruleæ, basi sub-nitidæ, ibique parce sed extrorsum densius griseo-pubescentes, setulis rigidis quibusdam adspersæ. Thorax latitudine paullo longior, cylindricus, basi apiceque truncatus, subtiliter reflexo-marginatus, lateribus in medio parum dilatatus, disco convexus fere gibbus, juxta basin transversim et intra apicem utrinque leviter impressus, ubique creberrime rugoso-punctatus, nigro-cœruleus, pilis rigidis nigris parce et inæqualiter dispersis, in disco anteriore macula elevata ovata glabra rufa nitida signatus. Scutellum transversum, griseo-pubescentia, postice truncatum. Elytra thorace dimidio fere la-

tiora, basi late emarginata, humeris productis, rotundatis; lateribus fere linearia, subtilissime carinato-marginata, ad apicem modo angustata, apice ipso truncata, dorso depressa, latera versus convexa, intra humerum impressa, undique confertissime concinne profunde punctata, saturate nigro-cyanæa, opaca, pube tenui cinerascente depressa et ad basin pilis nonnullis rigidis nigris immixtis obducta, in singuli elytri medio linea elevata vel carina obsoleta longitudinali instructa. Corpus subtus cœruleo-nigrum, minutissime remote punctatum, subnitidum, pube densiore erecta vestitum; segmento anali basi late rufo. Pedes breviusculi, parce pubescentes, fusco-nigris; femoribus omnibus ante medium rufis, quatuor posterioribus apice modo nigro-marginatis; tibiis anticis totis rufis.

*Varietas* β. minor; capite plerumque latiori; antennis apice obscure fuscis; thorace evidenter longiore, utrinque sublineari, macula discoidea breviore et magis rotundata, basi ante scutellum in angulo obtuso producto.

509. *AGAPANTHIA smaragdina* DEJEAN. Tab. X. f. 6.

*Linearis-elongata, tota cœrulea, parce pubescens, sub-nitida; thorace elongato, cylindrico, basi apiceque constricto; elytris creberrime concinne rugoso-punctatis, saturate obscure cyaneis; antennis extrorsum griseo-maculatis.*

Longit.  $3\frac{1}{4} - 4\frac{3}{4}$  lin. Lat.  $\frac{3}{4} - 1\frac{1}{4}$  lin.

Saperdæ violaceæ Fabr. valde affinis et similis.

Caput cœruleum, parce pilosum, ubique minutissime punctatum, basi cylindricum; fronte quadrata, declivi, modice convexa, medio disci longitudinaliter subtilissime carinata.

Oculi parvi, parum prominuli, fusti. Antennæ corporis longitudinem evidenter superantes, filiformes, uno latere pilis longis obsitæ; articulis 4—3 cœruleis, sub-glabris, nitidis, subsequentibus obscure fuscis, pubescentibus, apice griseo-maculatis. Thorax cylindricus, latitudine longior, cœruleus, subnitidus, pilis longioribus rigidis parce adspersus, ubique confertissime at minutissime punctatus; basi utrinque leviter sinuatus, apice truncatus, in medio vix productus obtuse rotundatus, intra basin et ante apicem constrictus, lateribus subrectis, pone medium vix dilatatus, antice nonnihil angustior. Scutellum latiusculum, cœruleum, basi retractum, postice elevatum, apice obtuse rotundatum. Elytra basi thoracis dimidio latiora, linear-elongata, apice paullo angustata, singulatim acute rotundata, dehiscentia, lateribus reflexo-marginalta, humeris porrectis, callosis; supra modice convexa, ubique creberrime concinne rugoso-punctata, saturate obscure cyanea, sub-nitida, certo situ viridi-micantia, basi intra humerum sat profunde impressa, pilis longis rigidis fuscis ad basin, posterius sensim brevioribus sub-depressis griseis parce vestita. Corpus totum subtus obscure cœruleum, sub-nitidum, parce pubescens, abdomine cylindricum, obsoletissime alutaceum, antice rude et crebre punctatum. Pedes longiusculi, sub-tenues, nigro-coerulei, parce griseo-pubescentes nec non pilis longioribus obsiti; tarsis elongatis, simplicibus, subtus testaceo-spongiosis.

510. AGAPANTHIA *chalybea* MIHI. Tab. X. f. 7.

*Lineari-elongata, sub-cylindrica, saturate cyanea, opaca; linea verticali, thorace vittis tribus cinereo-pubescentibus; elytris purpureo-cyanescentibus; scutello densissime griseo-villoso; antennis griseis, fusco-maculatis.*

Longit.  $5\frac{1}{4}$ —6 lin. Lat.  $1\frac{1}{2}$  lin.

Statura omnino præcedentis, sed multo major; lineola verticali, thorace longiore vittisque nec non antennis crassioribus et aliter coloratis aliisque notis faciliter dignoscitur.

Caput obscure cyaneum, creberrime punctulatum, basi cylindricum, glabrum, sub-nitidum, antice sat dense griseo-pubescentis, vittis duabus brevibus utrinque ante oculos et lineola verticali longitudinali e pilis brevibus griseis condensatis signatum; fronte valde deflexa, inter antennas late et profunde canaliculata, nec non pube grisea densius obducta. Oculi parvi, vix prominuli, brunnei. Antennæ corpore longiores, uno latere pilis longis rigidis sat dense obsitæ; articulo primo magno, violaceo, creberrime minute punctulato, sub-glabro; secundo parvo, globoso; reliquis densissime griseo-pubescentibus, apicibus fuscis. Thorax latitudine vix longior, basi utrinque late sinuatus, reflexo-marginatus, lateribus pone medium dilatato-rotundanus, antice sinuatim angustatus, apice truncatus, ante medium et juxta basin leviter constrictus; margine antico non-nihil elevato; disco convexus, parum inæqualis, undique creberrime sed minute punctato-rugosus, saturate cyaneus, pilis longioribus rigidis sat dense adspersus, vitta dorsali in medio sub-interrupta et altera in latera utrinque e pilis brevi-

bus griseis depressis decoratus. Scutellum sub-transversum, postice obtuse rotundatum, supra planum, densissime griseo-villosum. Elytra thorace duplo fere latiora, linear-elongata, basi truncata, juxta scutellum utrinque gibba, intra humerum profunde impressa; humeris elevatis, callosis; lateribus pone humeros leviter sinuata, apice dehiscentia, rotundata, supra modice convexa, antice creberrime rude et profunde, apicem versus sensim subtilius punctata, pube depressa grisea et ad basin pilis rigidis immixtis parce vestita, saturate cyanea, certo situ purpureo-micantia. Corpus subtus obscure cyaneum, sub-nitidum, obsoletissime at dense punctulatum, pube grisea depressa nec non pilis longioribus vage adspersum; lateribus anticis griseo-vittatis. Pedes mediocres, toti obscure cœrulei, dense pubescentes.

514. *RHAGIUM fasciculatum* MIHI. Tab. X. f. 8.

*Nigrum, flavescenti-pubescentis; antennis pedibusque brunneis; elytris sub-glabris, nitidis, apice ferrugineis, pilis brevibus depressis flavis fasciculatim vage dispersis, fascia lata obliqua antica maculisque duabus pone medium in singulo testaceis.*

Longit.  $6\frac{1}{2}$  lin. Lat. 2 lin.

Statura et magnitudo fere Rhagii lineati Oliv. sed pictura tota diversa.

Caput elongatum, deflexum, nigrum, antice dilatatum, basi valde constrictum, vertice depresso, canaliculatum, fronte inter antennas gibba, externe transversim sat impressa; pube depressa flavescentia ubique dense tectum, punctis quibusdam

pone oculos adspersum; ore palpisque ferrugineis. Oculi valde prominuli, sub-rotundati, nigro-luridi. Antennæ thoracis basin paullo superantes, crassæ, brunneæ, opacæ, pube brevissima dense obductæ, nec non setulis rigidis parce adspersæ. Thorax elongatus, latitudine duplo fere longior, niger, opacus, inæqualiter dense flavo-pubescens, obsolete remote punctatus, antice angustatus, intra basin et paullo pone apicem late et profunde constrictus, lateribus in medio vix dilatatus, spina longa sub-recurvata armatus, basi truncatus, utrinque subtiliter sinuatus, intra basin transversim obsolete carinatus, apice in medio obtuse late rotundatus, pone oculos sinuatus, in disco transversim convexus, longitudinaliter concinne canaliculatus, in fundo canaliculæ carinula vix elevata nigra nitida instructus. Scutellum elongatum, triangulare, nigrum, supra planum, dense flavo-pilosum. Elytra thorace triplo fere latiora, basi truncata, valde retusa, humeris nonnihil productis, callosis; postice parum angustata, apice rotundata, lateribus valde inflexa, subtiliter reflexo-marginata, disco modice convexa, antice vase sed rude et profunde, posterius obsoletius punctata, nigra, sub-nitida, apice ferruginea, pilis flavis brevibus fasciculatim collocatis et valde depresso ubique vase adspersa, singuli elytri medio fascia lata obliqua sinuata testacea suturam haud attingente paullo ante medium, posterius maculis duabus transversim dispositis, interiore latiore, exteriore margine connexa testaceis, in quovis elytro interne lineis duabus longitudinalibus elevatis glabris nitidissimis. Corpus subtus nigrum, nitidum fasciculatim flavo-pilosum; ano fusco. Pedes elongati, validiusculi, brunnei, sat dense pubescentes; tibiis tarſisque nonnihil dilutioribus.

512. *Toxotus insitivus* BOEBER. Tab. X. f. 9.

*Elongatus, postice oblique valde attenuatus, niger, dense cinereo-sericeo-pubescent; thorace longiore, cylindrico; elytris depresso, pallido-testaceis, utrinque nigro-vittatis.*

Longit.  $6\frac{1}{2}$  lin. Lat.  $1\frac{5}{6}$  lin.

Germar Nov. spec. p. 550 n. 697.

*Toxoto cincto* Fabr. valde affinis et similis, sed minor et in elytris antice praesertim angustior, thorax ad basin angustior nec non paullo longior etc.

*Femina.* Caput elongatum, deflexum, nigrum, opacum, sub oculo acute armato densissime punctulatum, pube brevissima griseo-sericea dense tectum, basi et apice angustatum, in lateribus medio dilatum, vertice et inter oculos longitudinaliter profunde excavatum, anterius elevatum, bi-nodosum, intra apicem transversim profundissime canaliculatum unde margine antico alte elevato. Oculi magni, valde producti, globosi, brunnei. Antennae longitudine fere corporis, filiformes, nigræ, griseo-pubescentes, extrosum fuscæ; articulo secundo brevissimo, ferrugineo. Thorax elongatus, cylindricus, niger, opacus, pube tenuissima valde depressa cinereo-sericea obductus, basi ante scutellum obtuse rotundatus, utrinque profunde sinuatus, angulis late rotundatis; intra basin et paullo pone apicem modice constrictus, lateribus in medio tuberculo parvo obtuso productus, disco inæqualis, parum convexus, canalicula lata sed minus profunda longitudinaliter in medio instructus, juxta basin transversim obsoletè carinatus, sub oculo armato ubique obsoletissime punctulatus. Scutellum triangulare, nonnihil elongatum, basi depresso,

postice elevatum, pilis flavis prostratis dense tectum. Elytra thoracis basi plus dimidio latiora, apicem versus oblique valde attenuata, apice parum dehiscentia, singulatim oblique truncata, angulo exteriore sub-acuminato; supra valde depressa, æqualia, pallido-testacea, lateribus valde inflexa nigro-vittata reflexo-marginata, sutura pone scutellum leviter infuscata, pube brevissima et valde depressa testacea dense vestita, undique obsoletissime at crebre vix visibiliter punctulata. Corpus subtus nigrum, dense cinereo-sericeum; abdomine rufo. Pedes valde elongati, tenues, rufi; femorum tibiarumque apicibus nec non tarsis nonnihil nigricantibus.

*Mas.* Solum corpore subtus, elytrorum apice, his margine laterali toto, antennis pedibusque totis nigris diversus.

513. *Toxotus persicus* mihi. Tab. X. f. 10. ♂ f. 11. ♀

*Niger, sericeo-micans; capite magno, in medio dilatato; antennis pedibusque rufo-brunneis; elytris latis, valde elongatis, modice convexis, testaceis, utrinque fusco-marginatis, postice parum angustatis, apice ipso obtuse rotundatis, inermibus.*

*Femina.* Longit.  $9\frac{1}{2}$  lin. Lat. 3 lin.

Toxoto meridiano Fabr. propinquus et maximus hujus generis, tamen dimidio fere latior præsertim in elytris sed non longior; capite magno, lato, antennis totis rufo-testaceis, elytrisque multo latioribus, apice singulatim acuminatis et non dentatis faciliter distinguitur.

Caput magnum, elongatum, sub-compressum, deflexum, nigrum, in medio dilatum, minutissime sed crebre punctulatum, pube depressa cana obductum, vertice cylindricum;

*N. Mém. T. V.*

fronte in medio longitudinaliter profunde excavata, utrinque carinata, inter antennas bi-tuberculata, antice transversim profundissime canaliculata. Oculi magni, sat prominuli, transverse ovales, brunnei. Antennæ corporis dimidium vix superantes, validæ, rufo-testaceæ, vix pubescentes. Thorax niger, canopubescent, subsericeo-micans, structura ut in *T. meridiano*, tamen ad basin multo latior ibique minus constrictus, tuberculis lateralibus magis obsoletis, antice evidenter angustior, basi utrinque minus profunde sinuatus, lobo medii magis obtusato, intra basin transversim evidentius carinatus, disco minus convexus sed densius punctatus nec non subtilius canaliculatus. Scutellum latiusculum, postice obtuse rotundatum, supra planum, glabrum, nigrum. Elytra thorace duplo latiora, valde elongata, postice nonnihil angustata, apice paullo dehiscentia, singulatim acuminata et haud dentata, supra modice convexa, parce testaceo-pubescentia, testacea, utrinque fusco-vittata, ubique obsolete coriacea et minutissime vage punctulata, lineis duabus vix elevatis in singulo, humeris parum productis, sub-orrectis, rotundatis; margine laterali antico tenuiter ac acute carinato. Corpus subtus sat convexum, nigrum, pube griseo-sericea valde condensata sat dense vestitum, certo situ sericeo-micans; segmentis duobus analibus totis rufo-brunneis; pectore valde incrassato. Pedes valde elongati, sub-tenues rufo-testacei, parce pubescentes, femorum basi genibusque leviter infuscatis.

*Mas.* Dimidio fere minor, totus obscure niger, sericeo-pubescent; elytris convexioribus nec non densius pubescentibus, apice singulatim oblique truncatis, margine sub humero testaceis; femoribus anticis nonnihil infuscatis.

---

## ENOPLODRES MIHI.

*Genus novum.*

Character generis.:

*Labium*: transversum, brevissimum, coriaceum, sub-pilosum, apice obtuse rotundatum, in medio vix emarginatum, membranaceum, basi late membranaceum, spina angusta sed longissima utrinque armatum.

*Maxillæ*: basi corneæ, acuminatæ, in medio nonnihil constrictæ, hinc apicem versus parum dilatatae, membranaceæ, apice ipso obtusatæ, dentibus quatuor sub-filiformibus, valde elongatis munitæ.

*Mandibulæ*: corneæ, validæ, breves, subtriangulares, dorso antice late arcuatim rotundatae, pone medium depressæ, apice acuminatæ vix recurvatæ intus profunde excavatae, margine subsinuatæ.

*Labium*: minutum, subquadratum, membranaceum, apice truncatum, vix emarginatum, basi parum angustatum.

*Mentum*: brevissimum, transversum, corneum, basi exacte truncatum, antice obtuse rotundatum, ipso apice utrinque dente validiusculo acuto instructum.

*Palpi*: inæquales; maxillares longiores; articulo ultimo elongato, modice compresso, in medio tenuiter incrassato, apice ipso subtruncato, subtilissime excavato; labiales magis compressi, articulo ultimo latiusculo, oblongo-ovato, apice rotundato, integro.

*Antennæ*: 11-articulatæ; radix parva, brevis, globosa; articulus primus cæteris crassior, cylindricus, sub-arcuatus, basin versus vix angustior; secundus brevissimus, præcedente duplo fere angustior, basi angustatus, apice subglobosus; tertius præcedente duplo longior, obconicus; quartus iterum paullo brevior, obconicus, sed apice magis incrassatus; quintus præcedentium longissimus, subclavatus; subsequentes æquales, sub-lineares, crassiusculi, cylindrici, sed ultimus longissimus apice acuminatus; præterea articulis 5—10 uno latere apice mucronulatis.

*Ab. εὐπλος* armatus, et δερη collum.

Generi Toxoto proximus.

514. ENOPLODERES *sanguineus* MIHI. Tab. XI. f. 2.

*Lineari-elongatus, supra totus sanguineus, opacus, infra niger, cinereo-pubescent; antennis pedibusque fuscis, nigromaculatis; elytris parallelis, subdepressis, ubique æqualiter confertim grosse punctatis.*

Longit.  $4\frac{3}{4}$  lin. Lat.  $4\frac{1}{3}$  lin.

Caput elongatum, deflexum, nigrum, pube brevi depressa sanguinea densissime obductum, subtus pube pallidiore, basi late et profunde inter oculos tenuiter transversim impressum, longitudinaliter concinne canaliculatum, pone oculos utrinque vitta angusta nigra notatum; fronte declivii, antice transversim impressa; ore palpisque fuscis. Oculi parvi, parum prominuli, fere triangulares, nigri. Antennæ corpore paullo breviores, basi tenuissime griseo-pubescentes, opacæ; articulo

primo rufo, apice infuscato, dense punctulato; 2, 3, 4, 5 nigris vel piceis; reliquis nigro-fuscis vel obscure brunneis. Thorax transversus, longitudine plus dimidio latior, niger, pube depressa sanguinea inæqualiter dense tectus, rude punctatus, opacus, basi utrinque subtiliter sinuatus, supra scutellum modice productus, obtuse rotundatus, lateribus in spinam latam obtusam productus, antice paullo angustior, apice obtuse rotundatus, supra convexus, inæqualis, late canaliculatus, in medio disci utrinque gibbus, intra apicem late et profunde, juxta basin angustius transversim impressus. Scutellum quadratum, modice elevatum, disco longitudinaliter impressum, densissime sanguineo-pubescens. Elytra thorace paullo latiora, valde elongata, saturate sanguinea, tota nuda, opaca, lateribus parallela, ad apicem leviter angustata ibique margine late reflexa, apice ipso truncata, supra ante medium nonnihil depressa, inæqualia, postice paullo convexa, undique æqualiter grosse et profunde punctata, lateribus declivia, basi truncata, subtiliter bi-sinuata, humeris modice porrectis, rotundatis; intra humerum et pone scutellum late sed profunde impressa; sutura præsertim apicem versus acute elevata. Corpus subtus nigrum, obsolete coriaceum, pube cinerea subflavescente valde deppressa vestitum; abdomine piceo, segmentorum marginibus anoque rufis. Pedes elongati, sublineares, creberime obsolete punctati, parce pubescentes, rufo-fusci, basi et femorum apicibus nonnihil nigricantibus.

515. *PACHYTA alpina* (\*) MÉNÉTRIÉS. Tab. XI. f. 3.

*Nigra, opaca parce pubescens; thorace transverso, valde convexo, dense villosa; elytris elongatis, convexis, confertissime concinne ruguloso-punctatis, sub-parallelis, apice rotundatis.*

Longit.  $4\frac{1}{2}$  lin. Lat.  $1\frac{3}{4}$  lin.

*Pachytæ smaragdulæ* FABR. Proxima, sed multo major, præsertim longior et magis convexa; thorax levior elytraque postice minus attenuata etc.

Caput valde dependens, nigrum, opacum, creberrime minute punctatum, sat dense villosum, vertice tenuiter canaliculatum, inter antennas transversim alte elevatum; ore ferrugineo, dense piloso. Oculi magni, valde prominuli, picei. Thorax transversus, longitudine duplo fere latior, basi utrinque late sed haud profunde sinuatus, lobo medii parum producto, reflexo; lateribus in medio nonnihil productus versus basin leviter sinuatus, ante medium oblique angustatus, supra valde convexus seu gibbus, disco longitudinaliter subtiliter canaliculatus, intra

(\*) Quam speciem quum vir doct. Dejean peculiarem esse negaret, injuria, quamquam variam P. Smaragdulæ aggregavit. (Lich. Nom Catal. des Coleopt. pag. 354). Cui quidem proxima est, sed iis, quas supra commemoravimus notis, ab ea prorsus discrepat. Hæc scilicet doctissimi comitis sententia uno tantum, eoque non satis accurate indagato hujus speciei insecto nititur, quod ei amicus meus Menetries miserat. Nam cum elytræ longæ et inter se parallelæ atque ad finem haud ita multum coarctatæ, tum etiam brevior quam longior thorax, notæ sunt satis certæ, quæ quidem in hoc semper, in illo nunquam reperiuntur. Evidem putaverim, P. marginatam Fabr., quam ipse recepit, P. Smaragdulæ aggregandam, quæ vero a Menetries allata est, huic proximam habendam esse.

apicem tenuiter constrictus, ubique creberrime granulato-punctatus, niger, dense villosus, opacus. Scutellum triangulare, depresso, rude confertim punctatum, nigrum, subglabrum. Elytra thorace dimidio latiora, elongata sub-parallela, postice parum angustata, apice ipso rotundata, integra, lateribus tenuissime carinato-marginata, supra valde convexa, confertissime concinne rugoso-punctata, nigra, opaca, pilis brevibus rigidis obliquis griseis dense vestita, humeris porrectis, callosis.

Corpus subtus totum nigrum, sub-nitidum, testaceo-villosum, confertissime ac valde obsoleto punctulatum. Pedes elongati, tenues, minutissime punctati, sat dense testaceo-pilosi; femoribus nigris, tibiis tarsisque piceis; tibiis anticis interne rufescientibus.

*Varietas α.* Angustior, sed vix brevior; thorax basi utrinque profundius sinuatus; elytra lateribus magis parallela nec non rudius punctata; femoribus tibiisque anticis apice rufescientibus.

516. LEPTURA bi-signata DEJEAN. Tab. XI. f. II.

*Lata, brevis, valde incrassata, nigra; capite thoraceque dense villosis; elytris flavis, concinne remote punctatis, basi bi-sinuatis, singuli macula discoidea apiceque nigris.*

Longit.  $5\frac{1}{4} - 6\frac{5}{4}$  lin. Lat.  $1\frac{1}{2} - 2\frac{1}{2}$  lin.

*Statura Lepturæ tomentosæ FABR. sed crassior.*

Caput triangulare, nigrum, ubique grossè et profunde punctatum, vertice in medio sub-lunatim impressum, inter antenas transversim elevatum, ibique subtiliter canaliculatum, pilis

longis inæqualibus supra parce pone oculos densius obsitum, linea transversa profunda sed angusta antice notatum. Oculi magni, valde prominuli, testaceo-luridi. Antennæ longitudinem corporis dimidiā vix superantes, validiusculæ, sub-serratæ, nigræ, basi pilosæ, sub-nitidæ, extrorsum subtiliter pubescentes, opacæ. Thorax latitudine evidenter longior, ante medium angustatus, basi tenuiter, reflexus, profunde bi-sinuatæ, lobo medii sat producto, rotundato; lateribus nonnihil dilatato-pulvinatus vel gibbus, apice truncatus, disco modice convexus, juxta apicem et ad basin paullo constrictus, ubique grosse nec non crebre punctatus, niger, villosus. Scutellum parum elongatum, triangulare, supra nonnihil convexum, nigrum, basi transversim impressum, subtilissime punctatum, perparce pilosum. Elytra basi thoracis duplo latiora, lateribus acute carinato-marginata, pone humeros subtiliter sinuata, postice parum attenuata, apice modice dehiscentia, truncata, angulis apicalibus vix mucronulatis, basi utrinque profunde sinuata, humeris productis, obtuse rotundatis; supra parum convexa, læte flaya, sub-nitida, apice nigra, grosse sed remote posteriora versus subtilius punctata, pilis brevibus obliquis testaceis parce vestita, in medio dorsi singuli elytri macula rotundata nigra signata. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, creberrime at minutissime in pectore rudijs punctatum, pube sericea depressa, segmentorum ventralium marginibus densiore adspersum. Pedes elongati, toti nigri, sub-nitidi, confertissime minute punctulati, parce pubescentess.

## 517. LEPTURA melanota MIFI. Tab. XI. f. 5.

*Elongata, atra, opaca, subtus dense testaceo-pilosa; thorace elongato, villoso, basi apiceque leviter constricto; elytris sub-parallelis, convexis, nigris, late rufo-marginatis, dense flavo-pubescentibus.*

Longit.  $5\frac{3}{4}$  lin. Lat.  $1\frac{3}{4}$  lin.

Lepturæ sanguinolentæ haud absimilis, tamen thorace breviore, disco profundius latiusque canaliculato; elytris longioribus et magis angustatis nec non evidentius punctatis pauloque convexioribus diversa.

Caput majuscum, deflexum, atrum, opacum, ubique æqualiter confertissime ac minute villosum, basi tenuiter constrictum, vertice planum, carinula longitudinali angustissima instructum; fronte inter antennas parum elevata in medio canaliculata intra apicem transversim profunde et late impressa. Oculi magni, globosi, nigri, interne anguste sed profundius emarginati. Antennæ corporis dimidium paullo superantes, nigrae, crassiusculæ, basi sub-nitidæ, extrorsum opacæ. Thorax elongatus, ater, opacus, dense villosus, confertissime punctato-granulatus, basi utrinque late sinuatus, lobo medii parvo, rotundato, angulis vix productis, rotundatis, lateribus in medio parum dilatatus, sub-rotundato-pulvinatus, anterius angustatus, intra apicem et basin leviter constrictus, apice posticeque valde reflexus, disco forniciatus, canaliculatus; canalicula postice parum dilatata ibique magis profunda. Scutellum mediocre, triangulare, rude puctatum, sub-rugosum, parce pubescens. Elytra antice thoracis

basi duplo fere latiore, lateribus sub-parallelis, postice nonnihil angustata, apice vix dehiscentia, singulatim oblique truncata, angulis modice productis, acutis; supra convexa, grosse et profunde, antice latera versus rufius punctata, pilis brevibus rigidis testaceis obliquis sat dense adspersa; fusco-nigra, late rufo-marginata vel cingulata, intra humerum tenuiter impressa; humeris vix productis obtuse late rotundatis. Corpus subtus atrum, minute punctatum, dense testaceo-pilosum. Pedes elongati, tenues, piceo-nigri, creberrime punctulati, testaceo-pilosi.

518. LEPTURA imberbis MÉNÉTRIÉS.

*Elongata, atra, subnitida; thorace ante medium utrinque obtuse angulato, intra basin transversim impresso; elytris rufis, sub-attenuatis, apice singulatim emarginatis, bispinosis; femoribus nigris, tibiis tarsisque fuscis.*

Longit.  $5\frac{1}{2}$  lin. Lat.  $4\frac{1}{3}$  lin.

MÉNÉTRIÉS Cat. Raisonné, pag. 231. n. 1066.

Magnitudo et statura *Lepturæ sanguinolentæ* FABR. tamen thorace breviore, antice præsertim latiore, elytris angustioribus, nonnihil convexioribusque differt.

Caput parvum, triangulare, atrum, sub oculo armato minute et vage punctatum, parce pubescens, basi valde constrictum, in medio intra basin foveola parva rotundata haud profunda instructum, vertice sub-didymum, inter oculos longitudinaliter late et profunde excavatum; fronte inter antennas transversim alte elevata, in medio profunde impressa, antice

canalicula transversa lata et profunda notata. Oculi magni, valde prominuli, globosi, lividi. Antennæ nigræ, dense fusco-pilosæ, apice in specimine nostro mutilatæ. Thorax latitudine basi brevior, ater, creberrime sed valde obsolete punctulatus, subtiliter pubescens, basi utrinque late profundeque sinuatus, reflexo-marginatus, lobo medio lato, sat producto, obtuse rotundato fere truncato; angulis rectis, productis, acutis; lateribus ante medium in angulo parvo obtuso productus, hinc apicem versus subito angustatus, pone medium leviter sinuatus, supra valde convexus, nonnihil inæqualis, disco longitudinaliter tenue canaliculatus, intra basin transversim late sub-sinuatim sat impressus. Scutellum latiusculum, triangulare, atrum, sub-nitidum, perparce pubescens. Elytra antice thoracis basi dimidio fere latiora, humeris productis, obtuse rotundatis; postice modice angustata, dehiscentia, apice singulatim attenuata, emarginata, acute bi-spinosa, supra convexa, rufa, sub-nitida, crebre sed obsolete granulato-punctata, pilis brevissimis vix visibiliter obsita, basi intra humerum concinne impressa, præterea lineis duabus obsoletis in singulo instructa. Corpus subtus atrum, magis nitidum, obsoletissime minute punctulatum, pube tenuissima, grisea parce obductum. Pedes elongati, tenues, densius pubescentes; femoribus nigris; tibiis tarsisque obscure fuscis.

## 519. STENURA oxyptera MIHI. Tab. XI. f. 6.

*Angustata, nigra, postice valde attenuata; elytris pedibusque rufo-testaceis, his sutura apiceque nec non femoribus basi nigricantibus; abdomine rufo, basi apiceque nigro.*

Longit. 4 lin. Lat. 1 lin.

MÉNÉTRIÉS, Cat. Rais. p. 231. n. 1064. « var. pedibus rufis, basi nigris ».

*Lepturæ melanuræ* FABR. propinqua, sed paullo longior et angustior; thorace in medio plerumque magis ampliato, pedibus abdomineque rufis distinguitur.

Caput sub-triangulare, nigrum, opacum, ubique creberrime granulato-punctatum, pube tenuissima vix visibiliter vage dispersa perparce obtectum, antice elongatum, valde angustum, basi concinne constrictum; fronte inter antennas utrinque gibba, in medio longitudinaliter canaliculato, antice transversim late sed haud profunde impressa; apice late testaceo-marginatum; ore ferrugineo parce piloso. Oculi maximi, laterales, valde prominentes, globosi, picei. Antennæ nigræ, breviter parce pilosæ, in unico nostro specimine apice mutilatæ. Thorax elongatus, antrorsum nonnihil angustior, niger, opacus, pilis brevissimis depresso-testaceis vage adspersus, undique confertissime rude punctatus, punctis latera versus confluentibus; basi utrinque late et profunde sinuatus, lobo medii producto, rotundato; lateribus pulvinatus, fere rectis, ad apicem modo subito rotundato-angustatus, supra æqualiter valde convexus, juxta basin utrinque leviter impressus, angulis posticis valde productis, rectis, acuminatis. Scutellum triangulare, elonga-

tum, nigrum, supra longitudinaliter modice impressum, vix pubescens. Elytra thoracis basi paullo latiora, elongata, apicem versus oblique valde attenuata, apice ipso singulatim acuminata, humeris rotundatis, vix porrectis; lateribus concinne carinato-marginata, supra depressa, undique æqualiter minute et vase punctata, rufo-testacea, sutura anguste, margine exteriore apiceque nigricantia, pilis obliquis rigidis nigris brevibus sat dense vestita. Corpus subtus minutissime nec non confertissime punctatum, thorace subtus pectoreque nigris, pilis flavescentibus prostratis dense obductis; abdomine parcus piloso, rufo, segmento basali posticoque nigris; ano sat producto. Pedes valde elongati, sub-tenues, rufi, flavo-pilosi, femorum basi nonnihil infuscati.

520. *GRAMMOPTERA elegans* MIHI. Tab. XI. f. 7. et var. δ. f. 8.

*Linearis, nigra, sericea; ore, antennis, abdomine posteriori pedibusque testaceis; antennis tenuissimis, filiformibus; thorace elongato, cylindrico, basi apiceque rufo-marginato; elytris valde elongatis, parallelis; pedibus longissimis, linearibus.*

Longit. 4 lin. Lat. 1 lin.

*Statura quodammodo Oedemeræ virescentis* FABR.

Caput transversum, valde convexum, nigrum, creberrime minute punctulatum, pube sericea cana condensata dense obtectum, pone oculos utrinque gibbum, inter antennas leviter elevatum ibique nonnihil canaliculatum; ore palpisque testaceis. Oculi valde prominuli, globosi, nigri. Antennæ corpore paullo longiores; tenuissimæ, filiformes, parce pubescentes,

testaceæ; articulo basali pallidiore, sub-nitido. Thorax latitudine plus dimidio longior, cylindricus, niger, subtiliter ac dense punctatus, pube simili uti caput obductus, lateribus in medio vix dilatatus, anterius parum angustatus, disco gibbus, subtiliter canaliculatus, ante basin et intra apicem late sed minus profunde impressus vel constrictus, basi tenuissime bisinuatus; margine basali anticoque rufo. Scutellum triangulare, piceum, obsolete strigoso-punctatum, postice acuminatum. Elytra thoracis basi duplo fere latiora, valde elongata, lateribus linearia, apice parum angustata, vix dehiscentia, apice ipso oblique truncata, humeris nonnihil porrectis, callosis; supra deplanata, parum inæqualia, rude sub-remote punctata, testacea, glabra, sub-nitida, ad apicem vix visibiliter pubescentia, intra humerum leviter impressa, sutura elevata, pone scutellam sub-infuscata; margine exteriore reflexo, acute carinato. Corpus subtus cylindricum, nigrum, obsolete coriaceum, pube sericea cana valde depressa sat dense vestitum; abdome pone medium testaceo. Pedes longissimi, tenues, lineares, testacei, perparce pubescentes.

*Varietas α.* Paullo minor; capite, thorace corpore subtus fuscis.

*Var. β.* Antennis extrorsum fuscis; thorace basi apiceque non rufo-marginato; femoribus omnibus ultra medium nigro-maculatis.

*Var. γ.* Capite convexiori; thorace apice concinne rufo-marginato; elytris apice, his sutura tota nigris; femoribus omnibus intra apicem nigro-maculatis.

*Var.* ♂. Paullo brevior; elytris plerumque magis nitidis, his sutura ante medium vittisque duabus nigris in singulo; femoribus ut in præcedente nigro-maculatis.

*Var.* ε. Præcedentibus evidenter latior; thorace densius testaceo-pubescente; elytris rudius nec non profundius punctatis, his sutura tota late, vittisque latioribus duabus in singulo apiceque nigris; femoribus omnibus ut in præcedentibus maculatis.

---